

sentiunt aculeum, palpitant et tremunt, torquenturque eorum viscera.

V. Discimus bona proposita, quæ concepimus, suo tempore parere. Audimus enim mulierem tunc primum gaudio repleti, quando peperit filium, vivum scilicet et vegetum. Quo gaudio nondum fruitur, dum gerit adhuc uterum, quia nescit quo eventu paritura sit, vivumne an mortuum, masculum an feminam, imo an paritura sit. Hunc in modum gratulari quidem sibi quisque potest, quando concepit bona proposita; sed nondum impletum est gaudium, donec ea pepererit. Accidit enim multoties, ut cum bona desideria in effectum deducenda sunt, ob difficultates occurrentes, vires pariendi desint, quemadmodum dicitur, Isa. XXXVII. *Venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi.* Loquitur enim ibi Ezechias rex de belli difficultate, qua præventus erat, quando contra Sennacherib necessarium suscipere bellum debebat; sed vires non habebat, ærario exhausto. Id ipsum evenit sæpe magistratibus, quando in bonum publicum multa facere decreverunt, veluti abusus tollere, vitia corrigere, etc. In ipsa vero executione, dum sentiunt obstacula, uti respectus personarum, oblocutiones, minas, operis difficultatem, resiliunt a proposito et retrahunt fetum suum, ac tolerant non toleranda. Evenit et illis, qui meliora vident et probant, tamen abrepti passionem vehementia, vel pusillanimitate dejecti, sequuntur deteriora. Audias sæpe dicentes aliquos: Quam iste est vir bonus! Quam pius et frequens in templo! Quam sobrius! Quam largus erga pauperes! Quam amans æquitatis! Sic oporteret vivere, etc. En bonum concepisti fetum; sed cur tu non ita vivis, quemadmodum ille vivit? Quia virtus non est pariendi. Evenit et illis, qui decreverunt confiteri omnia sua peccata, sed in ipsa confessione, pudore superati, graviora reticent; cujusmodi exemplum notum satis scribit Joan. junior. in scala cæli, de femina quadam, quæ in confessione adulterium celaverat, alia peccata aperuerat; de cujus ore vidit socius pœnitentiarum toties egredi bufonem, quoties illa peccatum aliquot confitebatur; unus tantum cæteris grandior remanserat, qui peccatum adulterii designabat; cum quo cæteri omnes in os ejus regressi sunt. Quare perniciosum fetum fovent, quotquot bona desideria concepta non enituntur; siquidem a fetu, quem enecant, necantur.

VI. In specie discunt matres ita parere filios, ut de partu suo jure possint gaudere. Quod imprimis fiet, si de legitimo matrimonio liberos progignant. Alioquin enim de spurio semine nonnulli dolorem et confusionem metant, uti

patet exemplo Bethsabees et Davidis, II. Reg. XI. Perpetrato enim adulterio misit illa ad Davidem dicens: *Concepi*, non sane ut lætum quid nuntiaret, sed ut infamiam et supplicium lapidationis, ex lege decretum adulteris, declinaret. Eo nuntio etiam David nequaquam recreatus, sed summopere fuit perterritus; unde nihil non machinatus est præter jus et fas, ut scelus suum tegeret. Taceo istorum liberos sæpe nasci miseros, quales Boleslai regis Poloniae ex pellice prognati, qui omnes deformes, monstrosi et tremantes nati, ac succrescente ætate in amentiam devoluti sunt una cum suis posteris, ut habetur in vita S. Stanislai.

Secundo, si prognatos magna cura servent, quo renascantur per baptismum, et postea bonis moribus iterum formentur ad pietatem et virtutem. Alioquin quale gaudium erit parentibus, si filios, in lucem edant, sepeliendos æternis tenebris, aut etiam cremandos ignibus, affigendos patibulis, gladio necandos, et demum gehenna mulcandos? Annon de his dicimus: *Melius erat illis, si nati non fuissent?* et illud Jer. XX. *Maledictus vir, qui annuntiavit patri meo, dicens: Natus est tibi puer masculus.*

Tertio, si et ipsæ matres sibi provideant ante partum de salute sua per implorationem opis divinæ, confessionem et communionem. Quid enim si mater pereat filio nascente? Quale hoc erit gaudium, maxime si mater in statu peccati obeat? Nulla igitur sibi fidat, tametsi sæpius experta sit felicem in partu successum. Scimus enim Rachelem secundo partu periisse, Gen. XXXV. idemque multis aliis contingere.

VII. Monemur omnes consulere suo quisque agoni, in quo velut in puerperio pariet seu effundet animam suam alteri mundo, sive ad vitam æternam, sive ad mortem æternam. De hoc vere dicere possumus: *Ibi dolores ut parturientis*, Psal. XLVII. imo acriores. Unde S. David præsens mortis periculum imminens sibi a Saule per metaphoram hominis morituri describens ait, Ps. XVII. *Circumdederunt me dolores mortis et torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.* Ecce tibi quatuor extremas calamitates, quæ circumdant morientem. Prima, sunt dolores mortis, id est, morbi vis et dolor de vita et mundo deferendo. Secunda, sunt torrentes iniquitatis, id est, memoria præteritorum peccatorum, quæ torrentis instar obruent morientem. Tertia, dolores inferni, id est, metus gehennæ et damnationis. Quarta, laquei mortis, id est, tentationes et insidiæ diaboli, qui eo maximo tempore vires et artes suas exerit. O partum periculosum, partum metuendum! Qui sane non absimilis mihi videtur partui Ba-

chelis secundo, quo dum peperit Benjamin, ipsa interim periit, Gen. XXXV. Cum enim ob difficultatem partus periclitari cœpisset, dixit ei obstetrix: *Noli timere, quia et hunc habebis filium.* Sed enitens filium, animam simul efflare cœpit; unde vocavit filium suum, *Benoni*, id est, *filium doloris mei.* Pater contra vocavit eum Benjamin, id est, *filium doloris dexteræ.* Quid sibi volunt ista, auditores? Obstetrix confortans puerperam significat amicos, qui plerumque vane consolantur moribundos, promittentes eis vitam, salutem et gloriam, de eorum pœnitentia nihil memorantes. Dissidium matris et patris quid nisi dubium morientium obitum designat? Ergo tu te voca *Benoni*, id est, *filium doloris*, filium pœnitentiæ, pœnas omnes meritum, ut te Deus vocet *Benjamin*, id est, *filium dexteræ*, filium cœli. Quare cum hanc difficultatem omnes subituri simus, et nesciamus quo successu, consulamus nobis in tempore, et quia parituri sumus animas nostras æternitati, tota vita nostra sit præparatio ad illam, ut ita cœlesti partu edito, solido recreemur gaudio.

## CONCIO IX.

## MYSTERIA.

- I. Quid illa sententia; Modicum, etc? — II. Cur hoc dictum non intellexerunt apostoli? — III. Cur prævenit Dominus interrogationem discipulorum? — IV. Cur prædictionem suam confirmat voce amen? — V. Cur apostolorum tristitia comparatur puerperio? — VI. Quinam alii dolores puerperio comparantur in Scriptura? — VII. Quod illud perenne apostolorum gaudium?

## THEMA.

*Quid est quod dicit, modicum? Joann. XVI.*

Non mirum, auditores, si non intellexerunt apostoli, quid esset illud *modicum*, quia copiosa illa Spiritus s. lux postea in pentecoste danda, nondum eos irradiarat. Sine ea luce et dioptra de *modicum* quidem intelligimus in Scriptura s. et vere omnes dicere possumus: *Nescimus quid loquitur.* Non ergo audiamus hæreticos, qui ex suo capite Scripturas interpretantur; sed adeamus potius sedem apostolicam, et ss. patres, e quibus loquitur Spiritus s. et exponit nobis Scripturas.

I. Quid sibi vult illa sententia: *Modicum et jam non videbitis me; et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem?* Resp. primo, S. Augustinus, prius *modicum* complecti tempus Christum a cœna usque ad ejus ascensionem, posterius *modicum* totum tempus ab ascensionem usque ad diem judicii, hoc sensu: *Modicum tempus est usque ad ascensionem meam, et tunc*

non videbitis me: et ab ascensione iterum *modicum* usque ad diem judicii, et tunc iterum videbitis me in carne venturum.

Resp. secundo glossa ord. D. Cyrillus et alii probabilius prius *modicum* designare triduum mortis Christi quo clausus sepulcro, visus non est: posterius vero quadraginta dies, quibus post resurrectionem suam versatus est in terra, et subinde apparuit discipulis.

Resp. tertio Rupertus, Cajetanus et Toletus paulo aliter. *Modicum* est usque ad passionem et mortem meam, et post illud non videbitis me, quia sepultus ero: et iterum *modicum*, tempus scilicet quo sepulcro condar; et post illud rursus videbitis me a mortuis excitatum: quia hoc pacto per mortem et resurrectionem meam vado ad Patrem.

Discimus hinc primo, *modicum* esse quiddam in mundo est, respectu æternitatis. Tam enim intervallum a die ascensionis Domini usque judicium extremum appellatur a Christo *modicum* quam dies quadraginta, qui inter resurrectionem et ascensionem, et tres qui inter passionem et resurrectionem ejus *modicum* sunt. Ergo sicut totus terræ globus, qui in suo ambitu plura, quam quinquies mille et ducenta milliaria continet, non est nisi punctum respectu cœli: (ut ostendunt mathematici cum ex omni terræ superficie, non minus videant medietatem cœli quam si in centro terræ essent) ita omne tempus, quantumvis longum appareat, non est nisi *modicum* respectu æternitatis. Nihil tantum vitæ hujus amor et diaboli deceptio facit, ut longum æstimemus quod brevissimum est.

Secundo, læta et tristitia sibi mutuo succedere. Triste illud mortis Christi *modicum*, lætum illud resurrectionis secutum est. Huic iterum successit triste aliud *modicum* absentiae, ab ascensione Christi usque ad secundum ejus adventum. Post hoc sequetur *æternum* quietudinis cœlestis. Ita nimirum inter adversitatis et prosperitatis libramentum secure navigamus et vadimus ad Patrem Deum.

Tertio, modica honorum tristitia, breviora esse lætis eorundem modicis. Etenim in triduo sepulturæ Domini, contristati fuerunt apostoli: sed huic illorum tristitiæ successit ingens gaudium Christo resurgente durans per dies quadraginta. Rursus ab ascensione Christi inceptum alterum *modicum* absentiae Christi Domini, durans usque ad mortem apostolorum: sed hoc secutum est æternum beatitudinis gaudium.

Quarto, tristitia justorum præcedere, læta eorum sequi; prius eos carere conspectu Dei, postea frui; prius plorare et flere, postea gaudere. Contrarium evenit improbis, qui hic



quidem exultant, rident, jubillant: ibi vero Dei conspectu æternum privantur, æternum plorant, et strident dentibus.

II. Cur hoc Christi dictum: *Modicum, etc.* non intellexerunt discipuli? Resp. primo S. Chrysostomus, quia obscurum erat. Variis enim modis fieri poterat, ut Christus a discipulis modo videretur, modo non videretur. Non exprimebat illa sententia, quomodo et quando discipulis subtrahendus esset, quia noluit Dominus eorum corda gravius sanciare, si expresse dixisset se nunc recta pergere ad passionem et mortem; voluit potius, ut post factum perspicerent mortem a se prævisam et prædictam esse.

Secundo, obstitisse videtur vehementia amoris, quo eum prosequerentur, et præsentem semper optabant. Hinc non adverterunt, ipsum pergere ad mortem. Quod si amor apostolorum licitus, imperfectus tamen, glauconia objecit oculis eorum, ne intelligerent verba Christi, quanto magis id facit amor carnalis et impurus, ut apparet in Samsone, Davide, Salomone?

Tertio, obstitisse etiam videtur imperfectio quedam fidei, quia capere volebant Christum moriturum. Perpetuo victurum putabant, et regnum Israel restitutum libertati et prosperitati temporali. Ac licet ab eo non semel sed sæpius audissent ipsum gentibus tradendum et moriturum, non poterant tamen hoc sibi persuadere, firmo saltem assensu. Ex quo discimus quam periculosa sit concepta semel persuasio in rebus præsertim utilibus et sensualitatem concernentibus. Perstabat Aman in ea opinione se diligere a rege præ omnibus, ideoque suggessit regi, quomodo honorandus esset amicus regis, sperans eum honorem sibi deferendum. Sed turpissime erravit. Perstant etiam hæretici in suis commentis semel apprehensis, quia inde sibi metunt commoditates temporales, ut nullis rationibus eximi eis queant. Cavenda hæc pertinacia, et in sententiam doctorum libenter eundum.

III. Cur prævenit Dominus interrogationem discipulorum, respondens intentioni eorum? Resp. primo, ut fidem divinitatis suæ fortius eis imprimeret, eo præsertim tempore, quo brevi ejus abjectionem, et mortem essent conspecturi indeque in fide nutaturi. Dum enim ex hoc intelligunt intentiones etiam suas, sola mente agitata, Christo perspectas esse; quomodo hinc non colligunt, ipsum plusquam hominem esse, adeoque revera cordium scrutatorem Deum? Itaque si ex una parte audiebant eum ut hominem esse moriturum, cogitare poterant altera ex parte, ut Deum se rursus vivificaturum.

Secundo, ut suam erga nos instruendos et

juvandos propensionem patefaceret. Solet enim prævenire conatus et labores nostros cum nos erga pietatem et virtutem bene affectos videt, juxta id Psal. IX. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus; præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Quod Isa. LXV. promissum imprimis est fidelibus novi testamenti: *Eritque antequam clament, ego exaudiam.* Cæterum hoc promissum impiis non congruit. De his idem Isaias, cap. 4. in persona Dei loquens ait: *Cum extenderit manus vestras, avertam oculos meos; et cum multiplicaveritis orationem non exaudiam: manus enim vestre sanguine plenæ sunt.* Justis tantum promissa est talis benevolentia. Porro etiam ante merita nostra solet nos prævenire Dei gratia, quod in quam multis rebus ostendi potest. Eligit nos ad fidem et gratiam nullo prævisa eorum merito: eligit suos ad gloriam ante prævisa eorum merita: trahit nos ad se, antequam veniamus: vocat antequam eum imploremus.

IV. Cur prædictionem suam confirmat vocula *amen*? Resp. primo, ut discipulis suis eximat vanam illam persuasionem, qua credere volebant ipsum passurum et moriturum; vidit enim Dominus eos, stante hæc persuasionem, inopinato mortis suæ spectaculo gravissime percellendos, et quasi uno ictu prosternendos, adeoque a fide dejiciendos. Quare ut lectum levius ferrent, scirentque mortem suo magistro prævisam et electam fuisse, serio eis inculcavit mortem sibi jam instantem, necnon orituram inde tristitiam eorum. Quod ipsum tamen non expresse, sed parabolice per similitudinem puerperæ fecit, ne eosdem in præsentia nimium constrictaret, sed animaret potius spe ingentis gaudii, modicam tristitiam brevi secuturi. Quemadmodum ergo mater consolatur filium afflictum, v. g. calculo laborantem, a chirurgo secandum, non indicans aperte quid ipsi ferendum sit: sanitatem potius mox sperandam proponit. Et quemadmodum Abraham filio suo jamjam immolando noluit aperire, ipsum futurum hostiam; sed: *Dominus providebit sibi victimam holocausti*, inquit: ne cor filii scilicet gravius sauciaret, Gen. XXII. ita egit Dominus cum discipulis suis.

Secundo, ut doceret nos cautelam in asseverandis dictis nostris adhibendam. Legimus enim Christum, cum res postulabat, solitum quidem adhibere graviolem asseverandi rationem, uti hoc loco: abstinuisse tamen juramentis, non quod illicita sint (si debito modo fiant) sed ne exemplo suo ad culpabilem jurandi consuetudinem homines provocaret, quo ex se proclives sunt. Est autem ea consuetudo partim temeraria ad Dei contemptum, et injuriam vergens; par-

tim periculosa, facile ad perjuria inducens; partim etiam noxia, fidem hominis minuens. Plus enim longe credi solet homini cordato et constanti, qui nude rem asserit, et juramenta fugit, quam ei, qui pronus est ad levicula jurandum. Scribit Cæsius, l. III. c. XXXVII. duos Colonienses mercatores ob jurandi consuetudinem a confessario redargutos fuisse. Responderunt illi, ita exigere contractus, se alia ratione vendere nil posse; sponderunt tamen experientiam unius anni. Quid factum? Anno illo paucas vendidit merces; idque suo confessario quesitum sunt. Respondit ille hoc Dei permissu factum, tum in penam priorum juramentorum, tum quia abstinerant, non amore Dei, sed causa experientie. Proposuerunt ergo in posterum abstinere juramentis Dei et virtutis amore, non pecunie; factumque ut deinceps felici rerum successu brevi ditarentur. Porro licet juramentum tres requirit comites, quos describit Jeremias, c. IV. dicens: *Jurabis; Vivit Dominus, in veritate, et in iudicio, et in justitia.* Debet enim juramentum esse verum, discretum, justum, ut advertit ibi S. Hieronymus.

V. Cur apostolorum tristitia tempore passionis Christi, puerperio comparantur? Respon. ob plures causas. Prima, ob tristitiæ magnitudinem. Solet enim Scriptura maximos dolores vocare dolores parturientis, ut Psal. XLVII. Isa. XXVI. Fuit autem apostolorum tristitia patiente Domino et magistro eorum, sine dubio incomparabilis, quia eum summe dilexerant eoque perditio omnia se perdidisse existimabant. Colligitur ex dolore Judæ, qui condemnatum videns Dominum, inexpiabile reputavit scelus suum, ideoque in se ipsemet suspendio punivit. Colligitur etiam ex tristitia duorum discipulorum euntium in Emmaus, tametsi illi non ex apostolis, sed ex septuaginta duorum discipulis tantum erant. Secunda, ob ejusdem brevitatem. Et enim dolor parturientis non est diuturnus, ita apostolorum luctus biduo tantum duravit. Tertia, ob periculum vite, in quo puerpera versatur, et quandoque extinguitur. Ita enim et apostoli in triduo passionis et mortis Domini de fide periclitabantur, expetiti a Satana ut eribarentur. Certe omnes scandalum aliquod passi sunt et nutabant in fide, saltem resurrectionis Domini. Sola Deipara palma instar erecta et immota stetit. Quarta, ob lætitiæ secutiæ magnitudinem. Ut enim mater edita prole præsertim mascula gaudio impletur; ita et apostoli viso resuscitate Domino tantopere gavisi sunt, ut præ gaudio non possent initio credere Dominum et magistrum suum esse, quocum loquebantur et edebant, quem videbant et palpabant ut habetur, Luc. XXIV. Quinta, ob

lætitiæ perennitatem; quia ut puerpera partu feliciter edito, non meminit prioris pressuræ ob gaudium consecutum, sic apostolorum gaudium vise rediivo Domino perenne fuit, ita ut nullis amplius tribulationibus deieci ab interna pace, et solatio cordis sui possent Sexta, ob resurrectionis cum nativitate conformitatem. Quemadmodum enim infans ex angusto et obscuro matris utero per nativitatem prodit in mundum hunc amplissimum, lucidissimum, speciosissimum, ita per mortem Christus ex hoc mundo, alia ex parte, angusto, tenebrioso, fædo transiit ad vitam beatam alterius sæculi, omnibus bonis refertam, et factus est novus quidam et celestis homo. Resurrectio ergo Christi, altera quasi ei nativitas fuit, quemadmodum et nobis erit nostra resurrectio; quæ propterea a Domino vocatur regeneratio.

VI. Quinam alii dolores doloribus puerperæ comparantur a Scriptura? Resp. primo, dolores et labores pastorum, concionatorum et confessoriorum, quos perferunt et assumunt animarum lucrandarum gratia. Ita enim apostolus ad Galatas, cap. IV. ait: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus; et ad Corinthios, ep. 1. c. IV. In Christo Jesu per evangelium ego vos genui.* Boni enim pastores pro animarum lucro nullis parcunt laboribus, meditantur in dies et frangunt sibi caput, quo panem frangant parvulis, obligant eorum vulnera in confessionum exceptione, functione difficillima et onerosissima, ægrotos invisunt et communiunt sacramentis, vitam quoque pro salute eorum, ubi opus est, in discrimen ponunt. Videte, auditores, utrum illis vos gratiam non debeatis, honorem et amorem.

Secundo, dolores electorum, quos sustinent in expugnatione vitiorum, in subeundis penitentis, in superandis tentationibus et tribulationibus, in subjugandis suis passionibus. De his enim ait Isaias, c. XXVI. *Sicut quæ concepit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus a facie tua, Domine: concepimus et quasi parturivimus et peperimus spiritum* (Septuaginta addunt) *salutis, q. d. maxima cum molestia, labore et dolore exuimus veterem hominem carnalem, et induimus novum spiritualem.* Ea porro difficultas liquet etiam ex hoc quod multi venerunt usque ad partum, et non est virtus pariendi, ut ait idem Isaias, c. XXXVII. nempe, qui in virtutis et religionis cepto itinere deficiunt, difficultate absteriti.

Tertio, dolores reproborum, quos subeunt sua sponte, donec conceptas suas nequitias effectui dent, furentur, mœchentur, occidant, iniusta bona venentur, peccata perpetrata te-



gant, pallient, excusent, etc. Hoc sensu de impio dixit David, Ps. VII. *Ecce parturit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem.* Plus enim multoties tolerant impii, ut mercentur infernum, quam pii ut lucrentur cœlum.

Quarto, molestia et violentia, quæ infertur creaturis etiam inanimatis; cum ad injuriam creatoris sui servire peccatoribus coguntur, ad perpetranda imprimis scelera. Hoc enim est, quod apostolus ad Rom. VIII. ait: *Omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc, q. d. anxie et cum dolore finem iniquæ servitutis expectat, cupiens liberari a tyrannide peccatoris (liberabitur autem in die judicii) et tendere potius ad finem suum et obsequium creatoris sui; ac si vocem et sensum haberet, ingemisceret sub hac pressura velut parturientes.*

Quinto, dolores hostium Christi, quibus insperato et subito obruentur partim hic, partim in inferno, postquam prius voluptatibus operam dederunt. De his enim dicitur, Psal. XLV. *Ibi dolores ut parturientis, q. d. subiti et ingentes, nulla ratione evitabiles aut alleviabiles.*

VII. Quodnam illud perenne apostolorum gaudium, quod nemo ab eis tollet? Respondetur esse partim gaudium, quod habuerunt in hoc sæculo de Christi resurrectione, partim quod habent altero in sæculo de perpetua Dei et Christi præsentia et intuitu. Utrumque inamissibile erat in apostolis; primum, quia fun-

dabatur in Christo ejusque gratia, in qua confirmati sunt misso ad eos Spiritu sancto. Ut ergo nemo eos Christo ejusque fide et gratia spoliare potuit, ita neque gaudio inde promanante. Alterum, quia de beatitudinis essentia est, ut sit perennis et inamissibilis; alioquin nulla ratione satiaret appetitum beati, nec foret status omnium bonorum aggregatione perfectus, quæ est beatitudinis definitio. Quare licet beati cernant in inferno propinquos suos, liberos, parentes, amicos, nihil tamen inde contristabuntur, quia in Dei justitia, quam cognoscent, plenissime acquiescent, nec poterunt amare, quos despexit Deus, proinde nec tristari de illorum ruina. Licet etiam animæ beatorum naturalem inclinationem habeant ad resumenda corpora sua, velut ad compartes suas: illa tamen inclinatio ante præstitutum communis resurrectionis diem nullum iis pariet mœrorem, quia ad accidentalem tantum beatitudinem spectat: et quemadmodum flores aliæque plantæ ante vernum tempus non germinant aut revirescunt, ita animæ beatorum ante illud ver, de quo Dominus, Matt. XXIV. ait: *Ab arbore fici discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit et folia nata, scitis quia prope est æstas, minime desiderant induere decorem corporum gloriosorum. Quare, auditores, vera gaudia quæramus, quæ nulla perturbari tristitia, nullo perdi tempore possunt, cœlestia nimirum.*

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

QUANDO PARENTES GAUDERE POSSINT DE FILIIS.

I. Gaudere possunt, cum vident educari filios sub disciplina. — II. Cum vident eos redolere bonos mores. — III. Cum vident ob virtutem esse evectos. — IV. Cum sciunt eos habere bonos. — V. Cum vident eos recipere ad meliorem frugem.

#### THEMA.

*Jam non menimit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Joan. XVI.

Facile quidem do parentibus, quod gaudere possint cum nascitur eis filius. Sed quam solidum tamen sit hoc gaudium, non satis adhuc perspicio. Videmus enim hodie nasci filium, cras aut perendie iterum mori; et jam conceidit gaudium, atque in mœrorem transiit. Videmus sæpe filios male educatos vel moribus perversos; et quod ibi gaudium? Videmus nunquam incidere eos in publicas ignominias;

et quæ ibi non confusio? Videmus sæpe manere stupidos et rudes; et quæ tunc lætandi causa? Videmus in gravia scelera labi, et in iis mori; quanta ibi lugendi materia? Quot lacrymas excussere Davidi Amnon et Absalon? Salomon quid de filio suo Roboamo loquitur Ecclesiasticis II. *Detestatus sum omnem industriam meam habiturus hæredem post me, quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit.* Augustus imp. felicem se futurum dixit, si liberis caruisset; adeo enim perversos habuit, ut ipsum puderet. Denique, de Juda scimus Christum dixisse: *Bonum erat ei si natus non fuisset.* Audimus quandoque parentes dicere filiis: Utinam in primo lavacro te submersissem. Modicum igitur vere est et fragile hoc gaudium. Quando igitur erit solidum ac magnum? Audiamus.

I. Quando vident filios non blande, sed severe potius educari sub disciplina. Abraham in die ablactationis filii (anno circiter quinto ætatis ejus) fecit grande convivium, in signum

lætitiæ juxta morem antiquum, quod dum infans vitalis futurus speraretur, ac jam per se vivere inciperet; secundum Cajetanum ibi Gen. XXI. quia nimirum ingens est gaudium parentibus, cum filii jam non lacte blanditiarum educantur, sed solido sapientiæ cibo assuescunt, ut aiunt Sanctus Augustinus et Rupertus. Dionysius junior Siciliæ tyrannus expulso in exilium dione, ut ei summe noceret, filius ejus educari jussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur moribus. Nam puero scorta adducebantur, vino epulisque obruebatur, neque ullum tempus sobrio relinquebatur. Reversus in patriam, pater et appositis etiam custodibus filium ad frugem reducere conatur, sed maximo suo dolore intellexit frustra id fieri: filius enim indignatus assuetas voluptates sibi subtrahi, ex summa ædium parte se præcipitavit, vitamque cum deliciis abruptit, Probus in Dione. Sic Andronicus junior Michaelis f. ab avo Andronico indulgentissime educatus adolescens cepit insollescere, et tandem ope Venetorum avum exturbare imperio, apud Gregoram, lib. VIII. Bene igitur Ecclesiasticus, c. XXX. ait: *Lacta filium et paventem te faciet, lude cum eo et contristabit te, q. d. filius ablactatus et grandescens non est amplius tractandus, atque cum esset sub lacte, fiet enim pervicax: quales sunt infantes, qui cum quid eis denegatur, indignantur, plorant, clamant, omnia abjiciunt, ut vix sedari queant, quietiam parentes percipiunt; quia putant sibi omnia ad placitum indulgenda. Infantes quidem velut doli malique incapaces blande educandi sunt, sed non item pueri, jam disciplinæ scilicet capaces: hi gravem et seriam poscunt educationem et lasciviæ puerilis castigationem. Sunt enim adhuc velut animal cula bruta, quæ timore et virga coerceri debent; uti Job, c. XX. *Egrediuntur greges quasi parvuli eorum; et infantes eorum exultant lusibus.* Addit Ecclesiasticus, loco cit. *Non corrideas illi, ne doleas (alii ne condoleas) et in novissimo obstupescant dentes tui.* Obstupescunt; quia non erit quod respondeas eis, si te accusent aliquando, quod per te perierint: obstupescunt, quia miraberis, quomodo tot blanditiis merueris tantam filii ingratitude.*

II. Quando vident eos bonos mores et virtutes redolere. Isaac, ubi sensit vestimentorum Jacob, filii sui, fragantiam, ita recreatus atque exhilaratus fuit, ut cum gaudio in ejus benedictionem prorumperet, dicens: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, Gen. XXVII. Quis fuit iste odor? Non tam vestimentorum materialium (tametsi et luc fuisse concedo) quam moralium seu virtutum, quas exponit S. Ambrosius, lib. II. de Jacob et vita*

beata, cap. I. « Nam licet, inquit, dulcis et suavis sit odor agri, quia est odor naturæ. tamen in sanct. patriarcha virtutum spirabat gratia. Quam continens erat parcimonia, qui cibum sibi paratum non expetivit, sed petenti fratri sine dilatione concessit, a quo primatum benedictionibus accepit! Quam pius erga parentes, ut præferri germano seniori, materno affectu mereretur, et paternæ benedictionibus munere sacraretur! Quam religiosus ut fratrem recusaret lædere! Quam verecundus ut patrem timeret fallere! Quam reverens parentum et honorificus, ut matri quod jubeat, non posset negare! » Sic Ambros. Hæ itaque sunt vestes filiorum quæ recreare debent parentes, non materiales illæ quæ corpus ornant, sed animum plerumque perdunt, quia extollunt et insolescere faciunt, cum e contra vestis virtutum et viventes ornet, et mortuos comitetur ad cœlum.

III. Quando vident vel audiunt eos propter sua bene merita ac virtutes ad honores et dignitates esse evectos. Sic gavisus Jacob quando audiit filium suum Joseph in Ægypto principem factum ob suam sapientiam, Genes. XLV. *Sufficit mihi, si adhuc vivit filius meus: et cap. seq. Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.* Redundat enim hæc dignitas et honor in laudem etiam parentum, sicut in laudem arboris generositas fructus. De Diagora Rhodio scribit Gellius, lib. II. cap. XV. quod cum tres ejus filii, luctator unus, alter pugil, tertius pancratiates, eadem Olympiade omnes vincerent et coronis insignirentur, filiique patris capiti coronas imponerent et suavissime eum amplexarentur, gaudia commotus pater in manibus filiorum animam efflarit. Memorabile etiam illud Helvetii Winkelriedi, qui audiens, quod ejus filius robustissimus sumpto fascæ hastarum perrumpens aciem Leopoldi Austrii, hostem turbasset, et viam Helvetiis ad victoriam aperuisset, licet occisus, cum ei mors filii nuntiaretur a partim gratulantibus, partim condolentibus: *Quid est, ait, quod fleatis? Est potius cur mihi gratulemini: quod filius meus morte sua patriæ libertatem defenderit, ann. Christi 1147. chron. Helvet.* Quando igitur parentes gaudere ob filiorum bonum volunt, ad virtutes et præclara facta eos edenda stimulent atque informant: sic filiorum coronæ ipsorum etiam capita ornabunt. Hinc Sap. Prov. X. ait: *Filius sapiens lætificat patrem: filius vero stultus mœstitia est matris suæ: et rursus, c. XV. Filius sapiens lætificat patrem, et stultus homo despiciit (id est, despici facit) matrem suam.* Sapiens filius eo loco, est filius honesti utique tenax: stultus est, qui corruptis moribus. Rursum Prov. XXIII. *Exultat gaudio pater justus: qui*